Quæstio medica Cardinalitiis Disp.

Discutienda In Schol. Medic. die Jovis 1a Aprilis M. Henrico Blacuod D. M. Moderatore.

An Tabes Incurabilis?

Corporis totius et multarum eius partium plerique morbi, tum acuti tum diuturni tres distinguuntur in tabem: quae cum sit communis cachexiae, atrophia et phthisis: prima corrupto alimento cacochymiam cum mole corporis turgidula inducit, nullis cedens catharticis: secunda subtracto alimento corpus sensim extenuans marasmum inducit intractabilem, sive cum calore, sive cum frigore coniungatur: postrema pulmoni, calido humido, et praecipuo respirationis instrumento propria, nihil est aliud quam ulcus ἕλκωμα dictum cum febre lenta, putrida et hectica (quae cibo et noctu magis invalescit) et totius corporis extenuatione, quae nullis artibus persanari potest.

Ad eam triplex est praeparatio. Prima ex aëris constitutione austrina et aquilonia, cui proximus est autumnus tabidis noxius. Altera ex aetate iuvenili, quae tabi maxime omnium est opportuna. Tertia ex tabifica corporis constitutione, quae in tribus spectatur, capitis, thoracis et pulmonis. Sic quibus caput est intemperatum et infirmum ad tabem sunt propensiores, maxime si ad vitiosum calorem et tenuitatem liquoris accedat cerebri frigiditas. quibus item pectus est σανιώδες, aut πτερυγώδες tabidi ~~[illegible]~~ omnes moriuntur. Quod si qui ab ortu quasi iure hereditario vitium contraxerint, pulmonibus citra sanguinis sputionem sensim flaccescentibus tandem contabescunt.

Cum autem phthiseos tot sint differentiae quot causae, ab illis tota ratio medendi desumenda. Prima est soboles profluvii a cerebro humoris sive multi qui depulsus, qui mollitie et tenuitate pulmones putrefacit, sive acris et erodentis qui eosdem saepius exulcerat. Altera sequitur apertam, ruptam vel erosam aliquam venam pulmonis a casu, labore, exercitio, tussi, sanguinis copia vel acrimonia, unde sanguis exilit, putrescit et cavum pulmonis erodit. Sic a sanguinis sputione pus et sputum malum, et ab eo φθόη perniciosa. Tertia succedit anginae, pleuritidi, ~~[illegible]~~ peripneumoniae vel empyemati, cum vel rupta vomica intra quadraginta dies non expurgatur, vel suppuratum per anacatharsin vel tussim et urinas, vel aperto per pyoticum thorace non educitur.

Eam exitiosum affectum multa praeter febrem et maciem symptomata consequuntur. Ex quibus alia morbo adsident ut dyspnoea, pectoris gravitas, raucedo, tussis, sputum cruentum, subviride aut purulentum, citra doloris sensum, pulsus parvus et languidus, ἐφίδρωσις, pectoris angustiae, corporis pruritus semper in tabidis malus: quibus accedunt sitis et ἀνορεξία ~~[illegible]~~ febricitantibus omnibus communia. Quaedam vitio ingravescente periculum portendunt, ut graveolens halitus, sputum foetidum, pilorum et alvi ~~[illegible]~~ profluvium, genarum livor, curvitas unguium, pedum inflatio, tensio hypochondriorum, urina oleaginosa, et collapsus temporum et cavitas oculorum, tanta denique siccitas et macies, ut ἔμψυχος νεκρὸς videatur.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Curatio igitur tabis cum non sit sperabilis, incipienti quamprimum adhibenda. Cui si fluxio causam attulerit, vena tum in cubito tum in malleolo secanda, catharticum instituendum, fluens humor divertendus sternutatoriis, frictionibus, phoenigmis, cucurbitulis collo, pyoticis humeris affigendis, caput exsiccandum et roborandum, fluxus denique repellentibus et incrassantibus stomaticis intercipiendus: deinde pulmonis ulcus abstergendo, consolidando incumbendum, non neglectis quae et occulta vi eundem roborant. Interim marcori comparato victu euchymo et liquido, balneo aquae dulcis consulendum cum lactis usu. Quae tamen omnia minus quandoque proficiunt, propter copiam humidi, assiduum pulmonis motum, tussis impetum et situm partis, quae ut prompte fluxiones excipit, ita remediorum ingressum non admittit. Ergo tabes incurabilis.

Asserebat Joannes Cousin Parisinus Scholae Archidiac. Anno ~~[illegible]~~ 1610.